





29  
ORDINIS IVRIDICI

1753 12. b

IN

ACADEMIA WITTEBERGENSI

H. T.

DECANVS

GOTTLIEB WERNSDORFFIVS

PHILOS. AC IVRIVM DOCTOR, INSTIT. PROF. PVBL. ORD.

CVRIAEC PROVINCIALIS SCABINATVS ET FACVLTATIS

IVRIDICAE ASSESSOR

LECTORI BENEVOLO

SALVTEM.

ORDINIS TARIIDICI  
IN  
ACADEMIA WITTBERGENIA  
DECANUS  
GOTTFRIE WERNSDORFIAS

HIEROS AC IARICIA DOCUTOR, INSTITUTI PROPH PHAR ORDO  
CEREMONIAE PROVINCIALES SOLEMNITATIBVS TUDICATATIBVS  
TARIIDICAE VESTESEOR

LECTORI BENIVIOLO  
SALUTEM



**A**n is, qui ex sponsa natus est, in feudum paternum succedere possit? grauis est, et satis agitata quaestio. In qua dirimenda alii<sup>a)</sup> affirmantem, alii<sup>b)</sup> negantem sequuntur sententiam. Inde noctuas fere Athenas portare videbimus, si eandem, hac nobis data scribendi occasione, denuo tetigerimus. At cum haec ipsa quaestio, quae de vi sponsaliorum rite contractorum agit, affinitatem habeat cum eo argumento, quod in Dissertatione inaugurali tractatur, cuius causa haec scribimus, minus aegre ferent lectores, si quid nobis de hac re videatur, ingenue profitemur.

Ad feudalem successionem legitimos tantum liberos admitti, inter omnes constat, et quantum scio, a nemine vnuquam dubitatum est. Satis clare enim hoc testantur plures iuris feudalis Longobardici textus<sup>c)</sup> et praelestim haec verba: „Natura-

a 2

a) III. GEORG. STEPH. WIESANDIVS, in Diss. de eius, qui ex sponsa natus est, successione in feudo.

b) CHRISTOPH. CHRIST. DABELOW in Meletem. iuris feudal. Collect. Ima,

c) I. Feud. I. p. 1. et II. Feud. XI. p. 1.

„les filii, licet postea fiant legitimi, ad successionem feudi, nec soli, nec „eum aliis admittuntur,“ <sup>d)</sup> nec non AVCTOR VETVS DE BENEFICIIS,<sup>e)</sup> et IVRIS SAXONICI FEVDALIS COMPILATOR,<sup>f)</sup> quorum uterque eos, qui in fornicatione, et extra matrimonium nati sunt (unecht geboren) a iure beneficiali arcendos esse docet. Ex hoc autem patet, eos, qui ex sponsa nati sunt, ad successionem feudi adspirare nullo modo posse, nisi iidem legitimorum filiorum nomine insigniri, comprehendique possint. Indeque ut hanc totam controversiam dirimere possimus, dispiciendum est, quinam sint filii legitimi? Cum autem in genere legitimum dicatur, recte monente CALVINO,<sup>g)</sup> quod iuste fit, vel legum observata ratione, dubium non est, legitimos filios eos esse, quos lex ipsa agnoscit, et qui legum observata ratione procreati sunt, ideoque, si ab adoptivis recesseris, qui filii siunguntur esse, licet tales non sint, et quos Germani, fictionum ne- scii,<sup>h)</sup> ignorasse videntur, eos tantum, qui ex viro eiusque vxore, et legitima parentum coniunctione, sive iustis nuptriis nati sunt.<sup>i)</sup> Hos Germani *eheliche, echte Kinder* appellant. Apud eos enim id, quod legitimum est, vel legi conuenit, *echt ehe-lich* dicitur, cum ipsum hoc vocabulum ab voce *Ee, Elte, Eva,* quae legem indicat,<sup>k)</sup> derivetur, ut satis docent alia ab eadem voce composita vocabula, *Ehehaften, ein echt Ding,* quibus legitima impedimenta, iudicium rite constitutum exprimunt.

Omnes

- <sup>a)</sup> II. Feud. XXVI. §. 10.
- <sup>b)</sup> AVCTOR VETVS DE BENEF. C. I. §. 4.
- <sup>c)</sup> IVS FEVDAL. SAXON. C. 2.
- <sup>d)</sup> IO. CALVINYS in Lexic. iur. v. legitime.
- <sup>e)</sup> IO. CAR. HENR. DREYERI zur Erläuterung der teutschen Rechte, Rechts-Alterthümer und Geschichten angewendete Nebenfunden p. 260.
- <sup>f)</sup> L. 6. D. de his, qui sui sunt vel alieni iuris. Pr. I. de Patria Potestate.
- <sup>g)</sup> FAVL. MATH. WERNER IN Ob. præf. v. Elte, cf. FRAEAT. AD IVS PROV. ALEMANN. apud SENCKENBERGIVM. p. 5.



Omnies igitur, qui ex coniunctione nascuntur, in qua legum ratio non habetur, sunt liberi naturales, vel illegitimi, unechte, uneheliche Kindes; si etiam rectiose dicuntur, quia lex eosdem non curat, nec iisdem aequalia cum legitimis liberis iura tribuit.<sup>1)</sup> Gaudent quidem ex iuris naturalis ratione omnes liberi eodem iure, cum natura ipsa legitimos a naturalibus nullo modo secernat, sed servata eadem legis ratione hos vel illos gignat, et procreet. At ex iuris civilis placitis alii legitimi sunt, alii naturales vel illegitimi. Sola igitur ratio, quod liberi sint legitimis, recte monente III. BOEHMERO,<sup>2)</sup> in nativitate ex connubio, vel iusto matrimonio est collocanda, quo deficiente naturales erunt, id est, sine connubio procreati, ac illegitimi. „Nam natura, inquit DESIDERIVS HERALDV<sup>3)</sup> „a legibus temperata, et iis obsequens, procreat liberos legitimos. At natura vaga, ac legibus soluta, et libertate sua lascivens, procreat quidem liberos, sed quos lex, quandoquidem naturae solius opus sunt, legum forma non adhibita, naturales tantum appellat, atque sic liberi naturales sunt, non legitimi.“

Quae, cum ita sint, legitimi liberi tantum ex iustis nuptiis procreantur. Has autem si demum contrahunt, qui secundum praecpta legum coeunt,<sup>4)</sup> id est, ut docet THEOPHILVS,<sup>5)</sup> ea custodiunt, quae de hac viri mulierisque coniunctione in legibus causa sunt.

Nam omnis, quae procreandorum liberorum, vel vitae consuetudinis causa, suscepitur a personis diversi sexus coniunctio, nuptiarum nomine insigniri nequit. Est enim nuptiarum vocabulum, nomen civile, et solemnitatem potius et celebationem

1) V. GLOSSAM GERMANICAM ad IUS PROV. SAX. Lib. I. Art. XXXVIII.

2) GEORG. LVD. BOEHMERYS in Elec<sup>t</sup>. Iur. ciu. T. I. p. 647.

3) DESID. HERALDV<sup>s</sup> in Reb. et Quaest. quotid. L. I. C. I.

4) Pr. I. de Nuptiis.

5) THEOPHILVS in Paraphrasi Insit. ad Tit. de Nuptiis.



britatem contractus coniugalis, quam ipsum coniugium denotat.<sup>q)</sup> Si igitur ea neglecta fuerint, quae in legitima viri mulierisque coniunctione leges exigunt, coniugium quidem adest, quia vir et mulier liberorum quaerendorum causa iunguntur, sed nullum matrimonium legitimum, neque coniuges, civili nomine mariti et vxoris insigniunter, denique liberi ex hoc coitu prognati, iis accensentur, quorum pater ignoratur<sup>r)</sup> Legitimum quidem dici possit hoc ipsum, secundum naturae leges, matrimonium, neutiquam vero secundum ius civile, quod non per omnia iuri naturali seruit; sed interdum eidem aliquid addit, vel detrahit.<sup>s)</sup> Non enim probanda est eorum sententia, qui, dum docent, negotium coniugale diuinum institutum esse, et certain a Deo ipso formam accepisse, Principes et legislatores humanos hanc ipsam formam neque mutare, neque eidem aliquid vel addere, vel detrahere posse, statuunt.<sup>t)</sup> Nec concedi potest, Deum ipsum coniugio certam formam dedisse, nisi eam, quod ex viri mulierisque coniunctione soboles nasci possit, et extra hanc coniunctionem liberi non procreantur. Nec negari potest, a legibus ciuilibus huic ipsi coniunctioni, si certis observatis solemnibus fiat, plura iura singulare tributa esse, quam habet, si ius naturae tantum spectaueris, quorsum imprimis pertinet, ut liberi tantum ex solemnis eiusmodi coniunctione nati, patri heredes fiant, indeque haec solemnitatim praemium auferri posse, si ea solemnia non adhibeantur, quae leges exigunt. Tandem, si matrimonii externam formam mutari posse negaueris, omnis omnino tollenda esset, quae inter liberos legitimos et naturales extat, secundum ius civitatis nostrae,

<sup>q)</sup> MATH. WESENBECTUS in *Paratit. ad Pandect. Lib. XXIII. Tit. II.*

<sup>r)</sup> §. 12. *I. de Nuptiis.*

<sup>s)</sup> L. 6. D. de Legibus. *Coniugium est actus in evagatio obsequio.*

<sup>t)</sup> IO. GODOFR. BAYERVS in *Diss. de Concubitu matrimonii perfectione ante copulam sacerdotalem* §. 35. in *Opus opis Academicisi T. I. p. 26.*

nostrae, differentia, sponsalia clandestina iisdem gauderent praerogativis, quibus gaudent publica, et matrimonium conscientiae eandem vim haberet, quam habet matrimonium rite legitimeque contractum. Recte legitur, me iudice, docent alii, ineundorum matrimoniorum formam a legislatore pro ratione status variam praescribi posse.<sup>1)</sup> Quae sententia, cum rei ipsi, et legibus, quibus vivimus, et quae varias in contrahendis iustis nuptiis requirunt solemnitates, optime coheruerat, efficit, ut iustum legitimus matrimonium illud demum dicatur, quod secundum legum praecepta contractum est, et in quo nullae deficiunt solemnitates, quas leges exigunt, denique, ut liberi illegitimi sive naturales censeantur omnes, qui ex coitu nascuntur, quam leges matrimonium legitimum non dicunt.<sup>2)</sup> Ita certe rationes suas subtraxere veteres. PAVLVS<sup>3)</sup> enim, cum videbat patris iustum in nuptiis filiae requiri, respondit: „eum, qui vivente patre et ignorantе de coniunctione filiae suscepimus est, licet post moriem aut natu sit, iustum filium ei, ex quo conceptus est, non videari, et CELSUS<sup>4)</sup>: „Cum legitimae nuptiae factae sunt inquit, patrem liberi sequuntur, vulgo quae sit matrem sequitur.“ Vulgo autem quae sitis is dicitur, qui extra matrimonium quae situs est, et patrem demonstrare non potest,<sup>5)</sup> quippe quem iustae nuptiae solum demonstrant.<sup>6)</sup> Cum igitur sponsalia verum ac iustum matrimonium nondum sint, sed sive ea ex iure Romano,<sup>7)</sup> sive Canonico<sup>8)</sup> de-

IVST. HENNING. BOEHMERVS in *Iure Eccles. Protest. Lib. IV. Tr. 6. 3.*

x) cf. V. C. CHR. HENR. GLÜCK  
decten L. I. Tit. V. p. 85.  
y) in L. II. D. de Statu homin,

y) in L. 11. D. de Statu homin.

*x) in L. 19. D. eod.*

g) L. 23. D. eod.

b) L. 5. D. de in ius vocat  
D. de Sponsalibus

c) L. I. D. de Sponjaus  
d) G. S. Causi XXX

d) C. 3. *Cauff.* XXX. 6

fuiueris; mentio et repremissio futurorum nuptiarum; ideoque  
 a nuptiis re ipsa distent, ex iis, quae hactenus disputauimus, iam  
 colligi potest, cum, qui non ex iusta nuptiis, quae adhuc ex-  
 pectantur, non ex iusta vxore, sed ex sponsa natus est, legit-  
 timum patris filium haud quaquam videri, cum concubitus  
 nuptias non faciat,<sup>e)</sup> neque ex iuriis civilis ratione, si sponsali-  
 bus licitis accedat, sponsalia ipsa in iustas nuptias commutet.  
 Sponsalia enim apud Romanos is, qui officium in aliqua provin-  
 cia administrabat, cum muliere inde oriunda, vel domiciliu[m]  
 habente, contrahere liceat poterat, nuptiae autem prohibeban-  
 tur,<sup>f)</sup> indeque si post sponsaliis despontati concubuissent, nu-  
 ptiae non erant, nec, qui ex hoc coitu nascebantur, legitimis  
 patris filii habebantur. Testatur hoc rescriptum GORDIANI  
 IMP. ad VALERIA<sup>g)</sup> his verbis conceptum. „Eis contra manda-  
 ta principum contractum sit in provincia, consentiente muliere matri-  
 monium: tamen post depositum officium, si in eadem voluntate per-  
 severaverit, iustae nuptiae efficiuntur, et ideo postea liberos susceptos,  
 natosque ex iusto matrimonio, legitimos esse, responsum viri pruden-  
 tiissimi Pauli declarat,<sup>h)</sup> quod, obseruante BRVNNEMANNO,<sup>i)</sup>  
 probat, liberos eo tempore natos, quo nondum iustae nuptiae  
 adsunt, legitimos non esse, quia postea nati legitimis dicuntur.<sup>j)</sup>  
 Haec enim ipsa verba, nisi contradicentibus omnibus Iure-  
 Consultis negare velis, CONSTANTINVM M. primum fuisse, qui  
 modum innenit, per quem filii illegitimi fierent legitimis, aliam  
 interpretationem non admittunt, cum, nisi hoc dubium obsta-  
 ret, dici omnino posset, ea ita intelligenda esse, filios ex mi-  
 tuis in guarnitib[us] vestimentis quadi metropolijo latere. D. VI. in

e) L. 30. D. de Nuptiis.

f) L. 38. D. de Ritu Nuptiar.

g) L. 6. C. de Nuptiis, et L. 65. p. 1. D. de Ritu Nupt.

h) IO. BRVNNEMANNVS in Comment. ad L. 6. C. de Nuptiis.

i) cf. IVST. HENN. BOEMMERVM in Iure Ecel. Profeß. Lib. IV. Tit. XVII.

§. 11.

nus iustis nuptiis procreatos, legitimos fieri, si remoto, quod  
nuptiis obstat, impedimento, ipsum matrimonium legitimum fiat.  
Imo nequidem secundum canones is, qui ex sponsalibus et  
clandestino matrimonio, cui solemnitas a lege praescripta deest,  
susceptus est, legitimii iura habuisse videtur. Hi enim ex clan-  
destino matrimonio natos, tum demum legitimos esse censem;  
si matrimonium ab Ecclesia fuerit comprobatum, id est, in nu-  
ptias iustas transformatum. „Si qui autem, inquit ALEXANDER  
„PONTIFEX,<sup>1)</sup> de clandestino matrimonio, postmodum ab Ecclesia  
„comprobato, generati fuerint, eos legitimos indices filios et haeredes,“  
satisque per haec verba probat, eosdem naturales tantum esse,  
si illud ipsum, ex quo geniti sunt, matrimonium clandestinum,  
contra praecepta legum contractum, ab Ecclesia non compro-  
baretur.

Legitimum igitur matrimonium, ex quo tantum filii legi-  
timi prodeunt, praeter consensum contrahentium, qui spon-  
salia efficit, et concubitum, aliud ex iure civili signum requirit,  
ex quo cognosci possit, mulierem ex pacto, quod sponsalibus  
ineft, viro traditam, et matrimonium contractum, non vero  
vagae libidinis causa hanc ipsam coniunctionem factam esse.  
Indeque omnes fere gentes, in nuptiis solemnitates quasdam  
adhibuerunt, ex quibus pateret, legitimam coniunctionem  
initiam, viroque ab ipsa republica potestatem datam esse, cum  
vxore sua, procreandorum liberorum legitimorum causa, coë-  
undi. Per sponsalia enim, vt BAVERI<sup>1)</sup> verbis utar, spon-  
sus ius ad rem, per nuptias autem nouus maritus ius in re, et  
legitimum quasi vxoris dominium, vt eadem ad prolem pro-  
creandam vti possit, consequitur. Hinc Romani clm per con-  
farrea-

<sup>1)</sup> C. 9. X. Qui filii sint legitimi.

<sup>1)</sup> IO. GODOF.R. BAYERVS in Diff. laud. §. 8.



farreationem, vel coemtionem, vel annum vsum nuptias iustas fieri iusserunt,<sup>m)</sup>) et cum hae ipsae solemnitates in defuetudinem abiissent, post sponsalia sponsam in mariti domum deduxerunt,<sup>n)</sup>) denique, licet consensu, non concubitu, nuptias fieri censerent,<sup>o)</sup>) tamen nudum consensum, quippe qui sponsalibus iam inest, in nuptiis non sufficere, putauerunt, sed, obseruante Fabro,<sup>p)</sup> iustum et legitimum consensum, id est tamem, qui secundum legum formam declaratur, et ex quo alii etiam cognoscere possunt, matrimonium nuptiasque iniri, desiderauerunt. Certe CONSTANTINVS IMP.<sup>q)</sup> clandestinas nuptias, quae, si easdem vxor, viuo adhuc viro absente, quem sospitem esse ignorauerat, iniisset, adulterii suspicionem mouerent, a nuptiis, quae publice contestatione deposita sunt, destinxit, et THEODOSIVS IVN:<sup>r)</sup> licet censeret, firmitati recte alias initi matrimonii non nocere, si omitteretur donatio ante nuptias, vel dotis instrumentum, pompa etiam aliqua nuptiarum celebritas, nihilosecius tum demum matrimonio vim aliquam inesse statuit, et ex eo natis liberis iura legitimorum auferri prohibuit, „*si inter pares honestate personas, nulla lege impedita, fuerit confortium, quod ipsorum consensu atque amicorum fidei firmatur.*“ Ex quo, me iudice, satis manifeste patet, apud Romanos non quaevis sponsalia, ad quae constituenda nudus consensus sufficiebat,<sup>s)</sup>) sed publice demum celebrata, que, vt ait THEODOSIVS<sup>t)</sup> *consensu contrahentium, et fide amicorum firmantur,*

<sup>m)</sup> CANOLVS GODOFR. DE WINCKLER, *Opuscul. min.* p. 381.

<sup>n)</sup> L. 5. D. de Ritu Nupt.

<sup>o)</sup> L. 15. D. de Condit. et Demonst. L. 30. D. de Reg. Iur.

<sup>p)</sup> PETR. FABER in Comment. ad L. 30. D. de Reg. Iur.

<sup>q)</sup> in L. 7 C. de Repudiis.

<sup>r)</sup> L. 22. C. de Nuptiis et L. 3. Cod. Theod. ei. Tit.

<sup>s)</sup> L. 4. D. de Sponsal.

<sup>t)</sup> in L. 22. C. de Nuptiis.

mantur, siue, vt verbis **INTERPRETIS GOTHICIS**<sup>a)</sup> utar, in  
quibus conscientia amicorum intercedit,<sup>b)</sup> si nuptias lex nulla impe-  
diret, liberis ex despensis conceptis, iura legitimorum libe-  
rorum tribuisse, et semotis reliquis solemnibus, vim atque  
potestatem iustarum nuptiarum habuisse. Hinc **DIOCLETIANVS**  
et **MAXIMINVS IMPP.**, iuris praecepta in contrahendo coniugio ob-  
seruare iubent,<sup>c)</sup> et nuptiarum indicia desiderant,<sup>d)</sup> **IVSTINIANVS**  
autem felicitatis nuptiarum mentionem iniicit.<sup>e)</sup>

Germani etiam eandem sententiam secuti sunt. Apud eos  
enim nuptias publice, cum quadam solemnitate contractas,  
mulieresque, emitas quasi, viris traditas esse, **TACITVS** testis  
est, his verbis usus: „Dotem non vxor marito, sed uxori maritus  
assert. Intersunt parentes et propinqui et munera probant, munera  
non ad delicias mulieribus quaesita, nec quibus noua nupta comatur, sed  
boues et frenatum equum, et scutum cum framea, gladioque. In haec  
munera uxor accipitur, atque inuicem ipsa armorum aliquid viro af-  
fert.“<sup>f)</sup> In sequentibus demum temporibus, cum coematio in  
desuetudinem abiisset, vetustioribus temporibus ita usitata, vt  
Germani nuptias contrahere, eine Frau kaufen, dicerent,<sup>g)</sup> post  
publicam despunctionem, thalami solemnem concensionem,  
per quam mulier viro tradebatur, exigebant,<sup>h)</sup> nec sponsam  
vxorem prius appellabant, donec a marito in thalamum tho-

b 2

rumque

a) **INTERPRETIS GOTHICVS** ad L. 3. C. **Theod.** de **Nuptiis**.

x) L. 12. C. de **Nuptiis**.

y) L. 13. C. eod.

z) L. 24. C. eod.

a) **TACITVS** de **Morib. Germ.** C. XVIII.

b) V. C. IO. FRID. PLITT de **Germanorum erga foeminas obseruantia**.

c) IO. RUDOLPH. ENGAVIUS in **Elementis Iuris German.** Lib. I. Tit. XIII.  
§. 297.



rumque coniugalem recepta esset, imo ab hac consensione thalami coniugum iura pendere censebant.<sup>d)</sup> Imo, licet apud eos etiam solennis benedictionis sacerdotalis ritus, sine quo LEO PHILOSOPHVS IMP.<sup>e)</sup> cuius exemplum deinde, IMP. ALEXANDER COMNENVS, teste HARMENOPVLO<sup>f)</sup> secutus est, matrimonium nullam vim habere, neque id ab initio ita dici, neque coniuges in vitae illius consuetudine matrimonii iure potiri, iussit, cum ipsa fere religione Christiana introducetus esset,<sup>g)</sup> ipfi tamen saepius matrimonio effectus ciuiles non prius concessere, donec sponsa in mariti thorum publice recepta esset.<sup>h)</sup>

Quo certius autem est, Germanos, in re clientelari praesertim, prisci moris tenacissimos, iis demum matrimonii iura legitima tribuisse, quae cum solemnitate quadam coniuncta, et more maiorum contracta erant, imo ob hanc ipsam causam successionem legitimam iis denegasse, qui ex impari matrimonio, quod ingenuus scilicet cum libertini generis muliere contraxisset,<sup>i)</sup> nati erant, vt docent verba IURIS PROVINCIALIS SAXON: „Das eheliche kind und vri, beheldet siues vaters schild, und nimet sin erbe, und der mutter, ob es ir ebenburtig ist, oder baz ge-

*inthalb der Concedix, aufzobet ouf thurh in geboren.*

*d) IUS PROV. SAXON. Lib. I. Art. XLV. et Lib. III. Art. XLV. IUS PROV. ALEM. Cap. CCCXXVIII. §. 2. ex edit. SENCKENBERG.*

*e) Nouell. Leonis, Nou. LXXXIX.*

*f) HARMENOPVVLVS in Promtuar. Iuris, in Scholiis ad Lib. IV. Tit. IV. §. 20.*

*g) IO. GOTTL. BEINECCIVS in Elem. Iur. Germ. L. I. Tit. X. §. 211.*

*h) cf. CONSTIT. ELECTORAL. XIX. P. II. 10. FLORENT. RIVINI Diff. de Consensione thorii, ad obtineudam successionem coniugum, Iure Sax. Elec. necessaria. item III. MART. GOTTL. PAVLI Progr. de Consensione thalami, et quam late ea pateat.*

*i) III. GEORG. LVD. BOEHMERRVS in Diff. de impari matrimonio, et iure liberorum ex eo naturum circa successionem feudalem §. 2.*

„boren.“<sup>k)</sup> et veteris cuiusdam compilatoris juris Germanici, a  
 DREYERO<sup>h)</sup> laudata, quae haec sunt „Wenn ein mann ein weib an-  
 hant zu mahlen, oder bey seinen kühen, oder zu sothenen diensten, als  
 sie ihm zu statten kommen, und sie davon ein kind zeugen, und das  
 kind schön, und das weib ihm behaget, dasz er sie gerne zum weibe  
 nehme so mag weder sie, noch das kind den ehelichen stuhl besitzen,  
 noch auch die kinder, die er ferner mit ihr erzielet“ eo minus du-  
 bitari potest, omnia ea matrimonia, quae, legum forma non  
 obseruata, inita erant, iustarum nuptiarum effectibus destitu-  
 ta, et liberos ex illis procreatios illegitimos fuisse, denique  
 ex hac ipsa causa illud tantum matrimonium, iustas nuptias  
 dici posse, quod secundum consuetudines et leges cuiuscun-  
 que loci initum est.<sup>m)</sup> Nam et NICOLAVS, Romanorum  
 Pontifex,<sup>n)</sup> cum apud eundem quaereretur, an Lotharii regis  
 matrimonium cum Gualdrada contractum legitimum esset, di-  
 ligenter inquirete iussit „an Lotharii praedictus Gualdrada,  
 praemissis dotibus, coram testibus, secundum legem et ritum, quo  
 nuptiae celebrari solent, per omnia accepit, et publica manifesta-  
 tione eadem Gualdrada in matrimonium ipsius admissa fuerit“  
 denique eandem legitimam vxorem fuisse statuit, „si nuptiis  
 secundum morem celebratis, per benedictionem scilicet sacerdotis, Lo-  
 thario coniuncta fuerit.“

Cum igitur ex iuris recentioris placitis benedictio sacerdo-  
 talis, in plerisque prouinciis ad formam matrimonii exigatur,  
 ita, ut qui eandem in matrimonio contrahendo non adhibue-  
 rent, cum in cibabus mirebantur, b) 3<sup>o</sup> (antiquitatem) conser-  
 vint,

<sup>k)</sup> IUS PROVINC. SAX. Lib. III. Art. LXII. item Lib. I. Art. V.

<sup>l)</sup> IO. CAROL. HENR. DREYERVS I. C. p. 266.

<sup>m)</sup> IGNAT. CHRISTOPH. LORBER A STOERCHEN in *Instit. Iur. feud.*

Lib. I. Tit. XII. §. 66. nota 2. vnu. mi. 1700. fol. 17. vnu. 1700. fol. 17.

<sup>n)</sup> C. 4. *Canff. XXXI. Qu. II.* fol. 17. vnu. 1700. fol. 17.



rint, non solum poenit adficiatur, sed legitim etiam consuges non censeantur, me non poterit eorum sequi sententiam; qui liberos ex sponsa natos, legitimorum iure non gaudere dicunt, eosque hanc ipsam ob causam a successione feudali repellunt, nisi leges ipsae iis, qui ex eiusmodi coniunctione nascentur, iura legitimorum disertis verbis concesserint, quod in Saxonia nostra factum esse, inter omnes satis constat.<sup>o)</sup> Nec nos mouet, ut ab hac sententia recedamus, argumentum quo aduersarii vtuntur, nulla scilicet lege iurius Canonici, quo in matrimonialibus causis potissimum vtimur, matrimonia sine benedictione sacerdotali contracta, pro irritis et nullis haberi. Nam sufficit legislatori, quod fieri non vult prohibuisse. Cetera quasi expressa ex legis voluntate colligenda sunt, et ea, quae lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solum inutilia, sed pro infectis etiam habentur, licet legislator fieri prohibuerit tantum, nec specialiter dixerit, inutile esse debere, quod factum est.<sup>r)</sup>

At si eis, quae ex sponsa nascentur, ius legitimorum natalium lege tributum sit, principali huic decisioni standum erit, cum recte, monente BOEHMERO,<sup>p)</sup> princeps externorum solemnium arbiter sit, legeque noua lata, vetustiorum legem tollere poscit, et tunc iisdem nequidem successio in feudum paternum, quia legitimati patris filii sunt, denegari poterit, dummodo in contrahendo eiusmodi matrimonio, ex quo legitimati filii nascentur, parentes formam, quam leges exigunt, seruauerint.<sup>q)</sup> Iura enim feudalia in filio legitimo nihil

<sup>o)</sup> DECIS. ELECTOR. XLIX.

<sup>p)</sup> L. 5. C. de Legibus.

<sup>q)</sup> IVST. HENN. BOEHMERVS in Iure Eccles. Protes. Lib. IV. Tit. III. §. 50.

<sup>r)</sup> vide III. 10. ADAM. KINDII Quæstiones forenses. C. III.

nihil aliud requirunt, quam ut lex ipsa eundem legitimum  
enseat.

Sed ne plura de hoc ipso argumento dicamus, prohibet  
instituti ratio. Indicendi enim sunt honores, quos ab ordine  
nostro sibi expetiit.

Vir praestantissimus atque doctissimus

CAROLVS AVGVSTVS SCHLOCKWERDER

VITEBERGA - SAXO

IVRIVM CANDIDATVS DIGNISSIMVS

Qui eum, quem tenuit hactenus, vitae cursum, his verbis  
descripsit

*Ego, CAROLVS AVGVSTVS SCHLOCKWERDER, anno huius se-  
culi MDCCCLXXI. Vitebergae in lucem editus, sancte deuenerando pa-  
tre, CAROLO AVGVSTO, Phil. et I. V. D. Fac. Iur. Asses. Ord. Iu-  
dicii Civitatis Viteberg, et Aerarii eccl[esi]e. Praefecto, atque matre, RA-  
HEL MARGARETHA stirpis CLEMENTINAE, pie colenda, vtor.  
Ab ineunte adolescentia publicis et maxima ex parte priuatis interfui  
institutionibus anno MDCCCLXXXVI. vero a Viro Magnifice MEER-  
HEIMIO, fasces Academiae Vitebergensis tunc tenente, in album ci-  
vium huius musarum sedis sum relatus. Ab eo inde tempore celeberrimorum  
ac fama illustrium virorum, in aeternum maxima prosequendorum  
pietate, scholis, quibus non solum animus ad humanitatem forma-  
tur, sed quibus etiam iurium scientiam percipimus, interfui. Frequen-  
taui igitur scholas REINHARDTI, WIESANDII, PAVLI, KLÜGE-  
LII, HOMMELII, WERNSDORFFII, HILLERI beati, SCHROECK-  
HII, EBERTI, WILISCHII, LANGGVTHII, KOHLSCHÜT-  
TERI, et PATRIS MEI. Poetica anno MDCCCLXXXIX. sub praefi-  
dio Ill. WIESANDII dissertationem, de poena furti varia publice de-  
fendi.*

❧ ♦ ♦

fendi. Examinibus vero, quae iis, sunt subewnda, qui tam ad facultatem causas in foro agendi, quam ad Dignitatem Academicam aspirant, ex voto peractis, deinde exercitationibus, quas vocant, practicis dedi operam. Iam in eo sum occupatus, ut Licentiam summos in iure honoris ambiendi mihi parem, ideoque dissertationem de vera publicorum sponsaliorum ex legibus praesertim Saxoniceis Electoralibus inde, publice defendam, id quod D. O. M. ex voto atque feliciter procedere iubeat!

Is in utroque examine, quod pro more subiit, ordini nostro doctrinam suam ita comprobauit, vt non solum Patri, Collegae coniunctissimo, talem filium gratularemur, sed eundem etiam Licentiati honoribus dignissimum iudicaremus. Idem iam nouum eruditio[n]is suae specimen edere gestit. Quam ob rem proximo die Lunae, qui erit dies XVIII. Martii, Dissertationem inaugurem, de vera sponsaliorum publicorum ex legibus praesertim Saxoniceis Electoralibus inde, sine Praefide, quae est Serenissimi Principis Eleitoris Saxoniae gratia singularis, publice defendet. Hanc Panegyrin, vt RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, ILLVSTRISSIMI COMITES, DIVINARVM HUMANARVMQUE LITTERARVM DOCTORES, nec non GENEROSISSIMI NOBILISSIMIQUE ACADEMIAE CIVES, honorifica praesentia ornare atque illustrare velint, ordinis mei nomine humanissime rogo. P. P. Dom. Iudica A. O. R. MDCCXCIII.

---





**ULB Halle**  
004 334 728


3



f

86





ORDINIS IVRIDICI  
IN  
ACADEMIA WITTEBERGENSI  
H. T.  
DECANVS  
GOTTLIEB WERNSDORFFIUS  
PHILOS. AC IVRIVM DOCTOR, INSTIT. PROF. PVBL. ORD.  
CVRIAEC PROVINCIALIS SCABINATVS ET FACVLTATIS  
IVRIDICAE ASSESSOR  
LECTORI BENEVOLO  
SALVTEM.